Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 687
Quelle:
Copyright:

mento Altaris. Pulcre vero hic inter alia: *Sacrificium iam nostri temporis corpus et sanguis est ipsius Sacerdotis.* — *Cum timore et tremore ad participationem huius altaris accedite. Hoc agnoscite in pane. quod pependit in cruce. hoc in calice. quod manauit ex latere.* — *Accedite itaque et edite corpus christi. etiam ipsi in corpore christi facti iam membra christi. accipite et potate sanguinem christi. Ne dissoluamini. manducate uinculum uestrum. ne uobis uiles uideamini. bibite pretium uestrum.* Finit: *Eritis secundum totum. quod catholon* (καθ' ὅλον) *uocatur. et unde catholica nominatur.*

Item alius de eodem die. Cap. V. Inscriptio *fol.* 5. *Incipit alius de eodem die. Sermo sancti aug. ep.* Init: *Sicut ueritas per apostolos sonuit, et in omnem terram exiuit sonus eorum. atque in fines orbis uerba eorum. pascha nostrum immolatus est christus.* Finit: *et effuso sanguine sine peccato. peccati cyrografum deleretur.*

Item alius in eodem die. contra arrianos et apollinaristas: maxime uero contra futuros nestorianos et eutichianos. Cap. VI. Inscriptio *fol.* 5. p. 2. *Item alius sermo. Sancti aug. ep. in eodem die.* Init: *Audiuimus euangelium. lecta est resurrectio domini nostri ihesu christi. Resurrexit christus. ergo mortuus est christus.* Finit prolixus: *qui etiam iacens in sepulchro. credentem latronem in paradysum introducere potuit.*

Alius eiusdem diei. Cap. VII. Inscriptio *fol.* 7. *Item Ser. sancti aug. ep. eiusdem diei.* Init: *Sicut audistis predicari dominum christum.* &c. Edit. *Maur.* T. V. Sermo 226.

Item alius in eodem die de sacramentis altaris ad neophitos. Cap. VIII. Inscriptio *fol.* 7. *De sacramentis altaris. Ser. sancti aug. ep. in eodem die.* Init: *Hoc quod uidetis karissimi in mensa domini panis est et uinum. sed iste panis et hoc uinum. accedente uerbo fit corpus et sanguis uerbi.* Ita per lineas 12. donec his verbis: *Propter hoc quia et passus est pro nobis, commendauit* &c. incidas in *Fragmentum*, quod e *Bedae* et *Flori* Collectione vulgavere *Mauriani* T. *cit.* pro Sermone 229. Fragmentum hoc illorum abrumpitur in verbis: *simul bibimus: quia simul uiuimus.* At nobis Sermo integer lineis 57. procurrit usque in hunc finem: *Simul etiam onerandi non estis. ut ea quę dicta sunt teneatis.*

Alius eiusdem in eodem die. de eo quod neophitis ante baptismum ex oleo sancto aures a sacerdotibus et nares illinantur. Cap. IX. Inscriptio *fol.* 7. p. 2. *Item Sermo sancti aug. ep. de eodem die.* Init: *Omnis quidem sermo fratres karissimi* &c. Edit. *Maur.* T. VI. *Append. col.* 288. prostat una cum duobus sequentibus. Secuti sunt Editores *Jac. Sirmundum*, qui primus protulit, et *Augustino* detraxit, licet in *Cod. Floriacensi*, unde protulit, *Augustino* adscriberentur, et ejus nomine etiam citarentur ab *Ivone Carnot.* et altero *Codice* vetustissimo *Remigiano.* Cum porro noster etiam *Codex* in medio Sermonum genui-